



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Margarita Evangelica**

**Essche, Nicolas van**

**Coloniae, 1545**

oratio per vulnera ad cor Iesu. 6

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](#)

## LIBER IIII.

git per subsidium tuæ preciosæ passionis, cum  
qua hominem voluisti habere tibi cohæredem  
in terra viuentium. ¶ Te igitur domine Iesu  
Christe moueat & inclinet ad misericordiam, hu-  
manæ fragilitatis consideratio, qui nosti quæ sit  
hominis substantia, & quod vane cōstitueris ho-  
minem super terram. Conserua etiam in me o-  
pus tuæ pietatis, ne incassum circa me laborauē  
ris, & ne infruictuosa in me sit immaculati cruo-  
ris tui effusio. Tu ergo qui es purificationem fa-  
ciens peccatorum, præsta ut emundatus a pecca-  
torum sordibus, & illuminatus acie mentis, co-  
gnoscā te: & me agnoscens in directione cordis  
mei, iugiter ad te tendā, ut felici exitu merear ad  
te peruenire Iesu Christe, vnicū refugium meum.

Oratio introductorya per vulnera in cor  
& diuinitatem Iesu, ad latitandum in  
eo contra distractiones omnes & ten-  
tationes.

### Cap. VI.

Domine Iesu Christe pro peccatoribus cru-  
cifice, suscipe me peccatorem ad te confu-  
gientem, & protege me sub umbra ala-  
rum tuarum, quas extendis in cruce, inter bra-  
chia charitatis tuæ. Planta arborem sanctæ cru-  
cis tuæ in corde meo, vt diffusis amaris radici-  
bus eius in me sentiam & intelligam, quanta su-  
stinxerit & passa sit clementia tua pro me iniuti-  
li & heu ingrato seruulo suo. Exeant radij humi-  
litatis, paupertatis, obedientiae, patientiae & cha-  
ritatis, ex sacratissimis vulneribus tuis in me; &  
vulnera cordis seu lateris tui, vulnera videlicet  
animoris tui cor meum vulnera & transuerbera,  
vt vere ardeam et lagueam in desiderio animæ,  
& illumi-

## MARGARITAE EVANG.

& illuminatus luce mortis tuæ , vere intellige;  
re valeam dolorem & cruciatum, quem sustinu-  
isti in manibus & pedibus tuis, in capite, in cor-  
pore, in corde & in anima tua: Quia plenus do-  
loribus eras intus & foris , stans & suspensus in  
patibulo crucis, sic vndiq; angustatus, quod nec  
ad dextram nec ad sinistram, neque sursum, ne-  
que deorsum , nec ante nec retro quoquam te-  
& vndique derelictus, plorasti , preciosum san-  
guinem iugiter stillasti, & fidelissime pro nobis  
miseris peccatoribus passiones sustinens labora-  
sti , donec exarasti, & totaliter defecisti, ac mor-  
te amarissima atq; turpissima, cum summo mo-  
rore & incredibili angustia tuæ tristis animæ, ex-  
charitate maxima tui feruentis spiritus, volun-  
tarie pro nobis occubisti . Sit nomen tuum do-  
mine benedictum in omnia secula. Domine  
Iesu Christe fac sanctissimam hanc mortem tu-  
am penetrare duritiam cordis mei, ut tibi & pa-  
sciam. Trahe me post te, ad te & in te: quia te ex-  
altatum a terra omnia tibi attracturum dixisti.  
Duc me in vestigijs sacratissimæ passionis tuæ  
baculo sanctæ crucis, per arma iustitie, a dextris  
& a sinistris, per foramenta angustæ mortis, in  
latitudinem spiritus, usq; ad introitum vitæ exter-  
næ, ubi te clarius videre , & plenus benedicere  
queam: laudareque & glorificare gloriosum no-  
men tuum valeam super omne nomen sanctum  
& benedictum in secula, Amen.

Efluxio contriti cordis ad spiritum sanctum,  
Cap. VII. O sacra

